

## LIBER SECUNDUS

---

# DE PRAECEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM

Postquam egimus de actibus moralibus eorumque normis et principiis in communi, iam de iis in particulari agendum est; omnis enim scientia practica in particulari consideratione perficitur.<sup>1)</sup> Oportet igitur tractare de singulis praecepsis, quibus homo in finem ultimum supernaturalem dirigitur, et de actibus quibus homo, praecepsis sese conformando, in hunc finem tendit, vel, ab iis discedendo, viam beatitudinis deserit. — Et primum quidem consideranda sunt praecpta earum virtutum quibus homo *immediate* ordinatur in ipsum finem ultimum supernaturalem; hinc primum agendum est de praecepsis virtutum theologicarum fidei, spei et caritatis; quae praecpta, ut observat D. Thomas, *implicite* continentur in Decalogo sicut principia in conclusionibus, seu velut prima principia communissima et per se nota Decalogo praesupposita.<sup>2)</sup> Et sic earum tractatio viam sternit ad considerationem aliorum praceptorum, de quibus dein agemus secundum ordinem ipsius Decalogi, in quo scil. explicite inventiuntur.

---

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. *Prooem. in 1. 2. qu. 6;* et *prol. ad 2. 2.*

<sup>2)</sup> Cfr. 1. 2. *qu. 100. a. 3; a. 4. ad 13; a. 11.*



# TRACTATUS I.

## DE FIDE

S. Alf. lib. 2. H. A. tr. 4.

Explicabimus: 1º notionem fidei, 2º eius praecepta, 3º peccata contra fidem, 4º pericula fidei.

### CAPUT I.

#### NOTIO FIDEI

306. — **Definitio.** Virtus fidei est virtus theologica, a Deo infusa, qua firmiter assentimus omnibus quae Deus revelavit et per Ecclesiam nobis credenda proposuit, propter auctoritatem Dei revelantis. Cfr. Conc. Vat. *De Fide. cap. 3.* — *Habitus* ergo fidei est lumen quoddam, quod difficile removetur ab eo in quo est; *actus* vero fidei est firmus as ensus; auctoritas divina revelans est *motivum* seu obiectum formale credendi; *materia* seu obiectum materiale sunt ea omnia, quae a Deo revelata sunt et ab Ecclesia proponuntur credenda. (*n. 1;* cfr. etiam can. 1323.)

307. — **Divisio actus fidei.** Fides, prout significat actum credendi: 1º alia est *simpliciter divina*, alia est *divina et catholica*, prout versatur circa veritates a Deo revelatas independenter a propositione Ecclesiae, vel versatur circa veritates a Deo revelatas et nobis per Ecclesiam tamquam divinitus revelatas propositas, sive sollemini iudicio sive ordinario et universalis magisterio. (Cfr. Conc. Vat. *De fide. cap. 3.*) Differunt accidentaliter tantum, quum differentia sit tantum in modo quo veritates revelatae homini innotescunt.

2º Alia est *explicita*, quando aliquis fidei articulus creditur in seipso et particulariter, e. g. Deum esse trinum in personis, Verbum incarnatum esse: alia *implicita*, quando aliquis articulus fidei continetur in alio magis universalis qui explicite creditur, v. g. qui credit explicate quidquid credit Ecclesia, credit implicite omnes articulos fidei.

3º Alia est *formalis* quae directe ab habitu fidei et ob motivum fidei elicitor; ut si quis cum advertentia explicita ad auctoritatem Dei revelantis credit Deum esse trinum in personis; alia *virtualis* seu *exercita*, quando quis actum alterius virtutis elicit, in quem fides virtualiter influit, quin tamen agens explicite ad eam advertat, ut si quis eliciat actum religionis, formando signum crucis.

4º Alia est fides *divina* quae nititur auctoritate divina et obtinet circa veritates *formaliter* revelatas: alia est fides *ecclesiastica*, quae nititur auctoritate *infallibili Ecclesiae* et versatur circa veritates non formaliter revelatas, attamen ab Ecclesia infallibili iudicio propositas. Iuxta aliquos vero fides huiasmodi dicenda esset *mediate divina*; etenim, remote seu mediate nititur auctoritate divina, qua nempe scimus Ecclesiae testimonium esse infallibile; ex quo concludunt fidem illam eiusdem speciei esse ac fidem divinam primo loco descriptam. Iuxta alios vero isti actus melius dicuntur specie inter se differre, quia fides ecclesiastica non nititur testimonio divino tamquam *motivo assentiendi*, sed tantummodo tamquam *medio quo cognoscitur infallibilis auctoritas Ecclesiae*. (Cfr. van Noort. *de Fide divina*. n. 182. 241-251.)

## CAPUT II.

## PRAECEPTA FIDEI

Fides ut *habitus* infusus est cunctis ad salutem absolute necessaria necessitate medii; sine gratia enim et virtutibus infusis nemo umquam salutem consequitur. Hinc tantum quaerimus de necessitate *actus fidei*. Actus fidei autem adultis primo quidem necessarius est necessitate medii ad iustificationem et salutem; sed praeterea est necessarius etiam necessitate praecepti. Hic praesertim de praeceptis fidei agimus, brevi tantum considerando necessitatem medii actus fidei, pro reliquis remittendo ad dogmaticos. Duplex autem praeceptum distinguendum est: 1º praeceptum *credendi* articulos fidei seu praeceptum *actus interni fidei*; 2º praeceptum *confitendi* fidem actu externo. Praeceptum autem credendi res fidei considerari potest vel quoad obiectum quod explicite cognoscendum et credendum est, seu prout continet praeceptum explicite cognoscendi et credendi res fidei; vel considerari potest quoad actum fidei eliciendum, seu prout continet praeceptum eliciendi actum fidei. Hinc ex ordine agemus: 1º de pracepto explicite cognoscendi et credendi res fidei, 2º de pracepto eliciendi actum fidei, 3º de pracepto confitendi fidem.

*Articulus I.*

## Praeceptum explicite cognoscendi et credendi res fidei.

308. — Obiectum praecepti. I. Ex pracepto divino omnes usu rationis fruentes debent explicite credere ideoque cognoscere in particulari ea omnia, quae sive certo sive saltem probabiliter sunt credenda explicite *ex necessitate medii*, iuxta dicenda infra in qu. 1ª. Secus enim sese saltem periculo aeternae damnationis exponunt. Hinc debent ita credere: 1º Deum

exsistere; 2º Deum esse remuneratorem bonorum et vindicem malorum, in altero mundo; 3º Deum esse unum in essentia et trinum in personis, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum; 4º Filium Dei incarnatum et mortuum esse pro salute hominum. Constat ex S. Paulo ad Hebr. xi. 6: « credere enim oportet accendentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit; » ex verbis Christi apud Joan. xvii. 3: « haec est autem vita aeterna: ut cognoscant Te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum; » notitia autem Christi supponit necessario cognitionem divinarum Personarum. (n. 1 et 2.)

II. Insuper omnes fideles in particulari cognoscere et credere debent: 1º articulos contentos in *Symbolo Apostolorum*; ex usu et praxi Ecclesiae et quia continent prima rudimenta fidei; — 2º praecepta *Decalogi*, ex pracepto etiam divino, quatenus haec etiam servare tenentur; sicut ideo etiam praecepta Ecclesiae ad omnes spectantia scire debent; — 3º *doctrinam Sacramentorum* eorum quae omnes recipere tenentur, ut Baptismum, Poenitentiam et Eucharistiam; alia vero scire debebunt, quando illa suscepturi sunt; — 4º necessitatem *orandi* ideoque orationem Dominicam, quia continet omnia quae petenda sunt a Deo; cfr. infra n. 414. (n. 3.)

Debent insuper, ut videtur, cognoscere *signum Crucis*, utpote insigne hominis christiani; et *Salutationem Angelicam*, quia Beata Virgo est Mediatrix gratiae. (n. 3.)

**Gravitas obligationis.** Praedicta obligatio sciendi res fidei est sub peccato mortali, nisi ignorantia aut potentia excuset. Ratio est, quia versatur circa rem gravissimam et necessariam ad salutem. Excipe tamen *Salutationem Angelicam* et *signum Crucis*, quorum obligatio sub veniali esse putatur. (n. 3.)

Unde fideles tenentur veritates fidei addiscere, et parochi aliquique curam animarum habentes, ut sunt parentes et praceptoribus, subditos suos de illis instruere, cum primum fideles rationis usum assecuti sunt; quia tunc iam tenetur homo vitam suam in ultimum finem dirigere; quod quidem sine scientia veritatum fidei fieri nequit. Quoad Pastores Ecclesiae accedit Christi mandatum praedicandi Evangelii omni creaturae atque praeceptum Ecclesiae in can. 1329 sequ.; et can. 1322. § 2. (n. 3.)

**Modus sciendi.** I. Omnes fideles, ut satisfaciant obligationi gravi, tenentur supradicta scire saltem secundum *substantiam*, id est, secundum generalem et simplicem eorum significationem. Ratio est, quia non praecipitur eis clarior notitia, quam prout proponuntur.

Hinc pro fidelibus sufficit v. g. scire de mysterio Trinitatis, tres esse divinas Personas, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, easque unum Deum tantum constituere; de Christo, eum esse Filium Dei, verum Deum verumque hominem, pro nobis passum, mortuum ac sepultum. Eum a mortuis resurrexisse, et iterum venturum in mundum, ut praemium iustis suppliciumque aeternum peccatoribus decernat. De Oratione Dominica sciant Deum orandum esse pro necessitatibus animae et corporis. De Sacramentis satis est scire quid sint, necessariam disposi-

tionem ad ea recipienda, et fructum quem producunt. Ceterum, de articulis Symboli et de praeceptis sufficit ea ita scire, ut interrogati possint recte responderem. (n. 3.)

II. Tenentur fideles obligatione aliqua *memoriter* sciendi articulos Symboli, praecpta Decalogi et orationem Dominicam; at communiter censem obligationem esse tantum sub levi; dummodo enim eorum sensum obvium ac obligationem percipient, nulla apparet ratio pro maiori obligatione. Obligatio autem illa maxime urget rudes; quia alioquin vix poterunt sufficientem eorum cognitionem habere; neque sufficit ea semel edidicisse, sed eorum memoria saepius refricanda est. (n. 3.)

Si quis est autem tam hebes et obtusus ingenio, ut nihil memoriter addiscere nec rationem de fidei doctrina reddere valeat, sufficit quod singula credat dum ipsi proponuntur. (n. 2. v. Notant.)

309. — **Quaestiones.** De iis quae explicite credenda sunt necessitate medii. QUAER. 1º *Quae sint veritates fidei quae ab adultis certo vel probabiliter cognoscendae et explicite credendae sunt necessitate medii ad salutem.*<sup>1)</sup>

Resp. 1º Constat apud omnes cognitionem et fidem explicitam *Creatoris* et *Remuneratoris* omnibus hominibus adultis esse medium necessarium ad salutem, sine quo nullus adultus salvari potest. — Notes autem iuxta doctrinam communem Deum remuneratorem intelligendum esse non utcumque, sed in ordine supernaturali. Sufficit tamen ut hoc intelligatur sub confusa notitia praemii revelatione promissi. — Melius etiam existentia Creatoris dicitur intelligenda prout est auctor eiusdem ordinis supernaturalis; sed practice hoc fit credendo in Deum remuneratorem ordinis supernaturalis. Cfr. van Noort. *de Fide divina.* n. 330.

2º De cognitione et fide explicita *Christi Redemptoris* et consequenter *SS. Trinitatis*, convenienti DD. eam non fuisse necessariam ante adventum Christi, seu ante sufficientem promulgationem Evangelii. Post promulgationem vero Evangelii, disputatur, et est duplex sententia probabilis. Prima affirmat necessitatem medii absolutam ex verbis Christi apud Joan. xvii. 3: «Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant Te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.» Conformis est Trid. sess. 6. cap. 6, ubi inter dispositiones ad iustificationem ponit scientiam et fidem Christi.

<sup>1)</sup> Necessitas alicuius in ordine ad salutem potest esse duplex, aut medii aut praecepti. Necessitas *medii* habetur quando aliquid primo et per se tamquam medium, necessitas *praecepti* quando aliquid primo et per se tamquam praecptum necessarium est. Hinc id quod necessarium est necessitate medii, ita necessarium est, ut salus obtineri nequeat, etiamsi medium inculpabiliter ignoretur vel adhiberi nequeat; ratio enim medii ab hisce non pendet. Id vero quod est necessarium necessitate praecepti sequitur rationem praecepti, ita ut quando praecptum ex ignorantia invincibili vel impotentia non obligat, eius observatio iam non sit necessaria ad salutem. — Porro necessitas medii est ab *intrinseco*, si sequitur ex natura finis; ita gratia necessaria est ad gloriam; vel ab *extrinseco*, si non ex natura finis, sed ex determinatione dirigentis ad finem provenit. Et tunc necessitas potest esse aut *absoluta*, si medium est insuppleibile et nullus a necessitate eius excipitur, ut meritum pro adultis, fides actualis pro adultis; aut *relativa* et suppleibilis, prout scil. est medium quidem ordinarium et per se adhibendum, sed quod per accidentem aliquando alio suppleri potest et a quo proin excusatio datur, ut Baptismus in re pro omnibus. Necessitas medii ab intrinseco semper est necessitas *absoluta*, ut patet.

Porro « mysterium Incarnationis Christi explicite credi non potest sine fide Trinitatis, quia in mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, et iterum quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit. » (S. Thom. 2. 2. *qu. 2. a. 8. c.*) Ita quoque S. August. *De Corrept. et gratia. cap. 7. n. 11*; S. Thom. *l. c. a. 7 et 8*. Huic sententiae favet et responsum S. Off. 10 Maii 1703.<sup>1)</sup> *Secunda*, in cuius probatione S. Alf. diutius moratur, negat satis constare de necessitate medii absoluta, quia non potest assignari ratio convincens pro hac necessitate; allata enim testimonia de necessitate praecepti vel de fide implicita vel de necessitate de via ordinaria, non absoluta, sufficienter explicari possunt. (*n. 2. H. A. n. 3.*)

**QUAER.** 2º *An dari possit ignorantia INVINCIBILIS circa veritates certo vel probabiliter cognoscendas necessitate medii.*

**Resp.** 1º Inter Christianos vix videtur admitti posse ignorantia invincibilis eorum articulorum fidei, qui sciendi sunt necessitate medii; propter tot adiumenta, quae suppetunt ad cognoscendos illos, tot nempe praedicationes, instructiones, etc., adeo ut non possit talis ignorantia esse sine negligentia et contemptu. — Si quis vero tam hebes sit et obtusus ingenio, ut non possit predicta mysteria capere secundum substantiam, talis excusatur ob impotentiam seu potius non est perfecte rationis compos et comparatur infantibus et fatuis. (*n. 2. v. Notant.*)

2º Inter non-Christianos utique dari potest ignorantia invincibilis, praesertim circa mysteria SS. Trinitatis et Redemptionis. Atvero, certo omnibus dantur media sufficientia ad salutem; quare infidelibus qui cum Dei auxilio servant legem naturalem, Deus procul dubio providebit medium, quo possint habere fidem ad salutem necessariam, sive per internam inspirationem sive per aliquem fidei praedicatorem. Ita S. Thomas. *qu. 14. de Verit. art. 11. ad 1.*<sup>2)</sup>

310. — Notanda circa Sacramentorum administrationem iis, qui ignorant res fidei. 1º Baptismus vel absolutio numquam conferri potest adulto qui ea ignorat quae CERTO sunt cognoscenda de necessitate medii; quia incapax est iustificationis; et quod attinet ad sacramentum Poenitentiae impossibile est ut talis ignarus materiam proximam preebeat. Confirmatur prop. 64 damnata ab Innoc. XI. — Baptismus tamen conferri potest perpetuo amenti quippe qui infanti comparetur.

2º Neque conferri potest extra articulum mortis, quae omnino urgeat, adulto qui ignorat mysteria TRINITATIS et INCARNATIONIS: quia sacerdos vel Baptismum periculo informitatis, vel absolutionem periculo nullitatis exponeret. Hinc debet hominem vel prius instruere, vel dimittere donec sufficienter instructus sit. — *In articulo mortis*, moribundus non-baptizatus qui Baptismum postulavit, vel fidelis qui absolutionem petivit, si ita sit infirmitate gravatus ut instrui nequeat, prior potest baptizari, posterior sub conditione absolvi; quia cum valde probabile sit notitiam horum mysteriorum non esse necessariam necessitate medii,

<sup>1)</sup> *Collect. de Prop. Fide, n. 254 ad 2 et 256 ad 2.* - Responsum iterum datum fuit 30 Martii 1898. (*Coll. de Prop. Fide n. 1993.*)

<sup>2)</sup> Ignorantia invincibilis in casu intelligitur ea quae efficit ut non peccent peccato infidelitatis. Ab aliis ignorantia in casu circa veritates, quae de necessitate medii explicite credendae sunt, dicitur *vincibilis remote*.

incertum est hominem esse indispositum ex defectu huius scientiae: proinde debet sacerdos sequi opinionem tutiorem pro salute aeterna moribundi. (Carden. n. 17-19 et n. 25; Viva. n. 3.)

Ceterum: a) monere oportet, ex sententia S. Alfonsi repetendas esse Confessiones cum ignorantia praedictorum mysteriorum Trinitatis et Incarnationis bona licet fide factas; tum quia possidet obligatio explendi Confessionem, non tantum probabiliter, sed certo validam, tum quia in tam ignaro et salutis suae negligente probabile non est debitam adfuisse dispositionem, verum scilicet dolorem de offensa Dei, sed potius praesumendus est huius defectus. Quapropter, cum ipse adverterit Confessionum suarum vitium, tenetur, postquam de illis mysteriis instructus fuerit, Confessiones iterare. (n. 2, cum nota in ed. Gaudé.)

b) Non expedit ut confessarius dimitat poenitentes ignaros mysteriorum Trinitatis et Incarnationis, ut ab aliis ea addiscant, quia valde metuendum est ne non redeant, et hoc pacto ignari remaneant; ideo expedit breviter eos docere praedictos articulos, efficiendo pariter ut secum efforment actus fidei, spei, charitatis et contritionis, atque obligando eos ut postmodum perfectam instructio-  
nem sibi comparent circa cetera scitu necessaria ex necessitate praecepti. — Ea porro quae confessarius breviter docere debet, tria praecipue sunt: 1º in Deo tres esse personas, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, quorum quilibet Deus est, nec tamen tres Deos esse, sed unum: adhibito exemplo signi sanctae Crucis; 2º Iesum Christum Filium Dei factum esse hominem pro nobis, passum et mortuum esse, a mortuis resurrexisse, remittere peccata poenitentibus, atque iterum venturum in mundum, ut praemium iustis et supplicium aeternum peccatoribus retribuat; 3º hunc Christum in SS. Sacramento sub speciebus panis et vini vere existere, ibique adorari et sumi a fidelibus. (Prax. Conf. n. 22; Filliuc. tr. 20. n. 57; Catal. I. 5. 2. n. 21.)

3º Poenitentes qui *culpabiliter* ignorant scitu necessaria ex necessitate PRAECEPTI, absolvvi possunt, dummodo de negligentia sua doleant eamque accusent, cum firmo proposito ea postmodum addiscendi; quod si iam semel atque iterum moniti promissis non steterint, prius ea addiscant quam absolvantur. Si *inculpabiliter* ea ignorant, absolvvi possunt, dummodo se ea discituros esse promittant. (n. 3. Prax. Conf. n. 22.)

4º Confessarius poenitentes de doctrina Christiana interrogare tenetur, quoties probabiliter coniicit eos scitu necessaria ignorare; confessarius enim tenetur de iis peccatis interrogare, quae *verisimile* est poenitentem commisisse iuxta statum suum. Hinc in praxi personae, quae in pueritia bene et christiane educatae sunt, regulariter non sunt interrogandae. Pueri vero et semifatui hac de re examinandi sunt. Illi quoque, qui, postquam in pueritia doctrinam Christianam delibaverint, deinceps vixerunt a concionibus et catechesibus remoti, certe videntur interrogandi; idque nostra aetate valet, etiamsi honestioris conditionis sint et in rebus naturalibus rite instructi; non raro enim inter eos reperiuntur, qui in Religione admodum rudes sunt. Quodsi de eiusmodi poenitentibus agatur, quibus magno rubori vel offensioni esset de hisce interrogari, decebit confessarium in adhortatione articulos necessarios iis breviter proponere, et deinde actum fidei ab eis elicere. (n. 3. Prax. Conf. n. 22; Salm. tr. 21. cap. 2. n. 62. 63.)

*Articulus II.***Praeceptum eliciendi actum fidei.**

**311. — Principia. I.** *Obligatio eliciendi actum fidei urget omnes, postquam mysteria fidei et obligatio credendi illa velut a Deo revelata SUFFICIENTER fuerint illis proposita.* Ratio est, quia secundum Marc. XVI. 16: « Qui... non crediderit condemnabitur, » et Trid. sess. 6. cap. 8: « Fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis. »

**II.** *Tunc autem censentur mysteria nostrae fidei sufficienter proposita infideli vel haeretico, quando illi apparent EVIDENTER credibilia;* quia nempe certo constat de eorum revelatione, ea scil. certitudine, quae omnem prudentem formidinem excludit. Patet ex prop. 21 damn. ab Innoc. XI: « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidet ne non sit locutus Deus. » — Unde, quando mysteria fidei nostrae apparent dum taxat *credibiliora* seu *probabiliora*, nondum existit obligatio eliciendi actum fidei suuper naturalem, quippe qui omnem formidinem excludat; sed existit obligatio incertitudinem vincendi, consulendo viros doctos et Deum deprecando ut lumen immittat; qui hoc omittit, peccat contra praeceptum fidei, ut patet ex prop. 4 damn. ab Innoc. XI: « Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili. »

**III.** *Praeceptum fidei obligat ad eliciendos FREQUENTER actus fidei.* Etenim assensus fidei est per se necessarius ad christiane vivendum; sed vita christiana dicit frequentiam operum christianorum; ergo et requirit frequenter actus fidei. Hinc damnata est prop. 1 ab Alex. VII: « Homo nullo umquam vitae sua tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi praceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium; » item prop. 16 et 17 ab Innoc. XI damnatae.

Hinc praeceptum credendi obligat *per se*, seu ex ipsa fide: 1º pueros fideles, cumprimum satis instructi sunt in fide; quia tunc incipit obligatio serviendi Deo, ergo et credendi revelanti; 2º infideles aut haereticos adulti, quando fidei nostrae veritas eis sufficienter proposita est; 3º in articulo mortis; quia id tempus opportunius est Christianum se profitandi; attamen de gravi obligatione hic non constat; 4º quando urget tentatio contra fidem quae secus superari nequit; 5º saepius in decursu vitae, quia veritates fidei admodum necessariae sunt homini ad vitam christianam conservandam; multi probabiliter putant eum teneri sub gravi peccato saltem semel in anno.

*Obligat per accidens*, seu ex praecerto aliarum virtutum: 1º quando gravis tentatio urget, v. g. adversus patientiam, iustitiam, castitatem, quae sine actu fidei sive fidenti recordatione alicuius veritatis fidei difficulter vinci queat; 2º quando implendum est praeceptum vitae christianaee, quod fidem requirit, v. g. oratio, Sacramenti susceptio; pari modo,

quando urget praeceptum *confitendi* fidem, ex praecepto sive divino sive ecclesiastico, iuxta dicenda in art. sequ. (n. 5. 7. H. A. n. 13.)

IV. *Satis est actum fidei elicere in actu EXERCITO, et ex praescripto aliarum virtutum:* quia, dummodo eliciatur, impletur praeceptum. Unde consequitur fideles omnes, qui christiane vivunt, satis superque huic praecepto satisfacere; frequenter enim formant Crucem, recitant Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, adorant Eucharistiam, Missam audiunt etc., quae omnia actus fidei includunt. (n. 7.)

### *Articulus III.*

#### *Praeceptum confitendi fidem.*

##### *§ I. - PRAECEPTUM DIVINUM.*

312. — *Principia. I. Adest praeceptum divinum, tum negativum numquam externe negandi fidem, tum affirmativum, eamdem ALIQUANDO confitendi, etiam cum periculo vitae.* Constat ex verbis Christi, Matth. x. 32: « Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est; » Luc. ix. 26: « Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, et Patris, et Sanctorum Angelorum; » et ex verbis Apostoli ad Rom. x. 10: « Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem. »

II. *Praeceptum divinum affirmativum confessionis fidei obligat, quando cumque eam postulat HONOR DEI vel PROXIMI SALUS.* Ratio est, quia ex I Timoth. i. 5: « Finis praecepti est charitas; » unde cuiuslibet virtutis actus censetur esse praeceptus, quando necessarius est ad charitatem erga Deum vel proximum.

Porro HONOR DEO DEBITUS confessionem postulat, quando silentium praeberet signum negationis fidei aut erubentiae in confessione eius. SALUS PROXIMI eam exposcit, quando taciturnitas aliis scandalum praeberet, quo averterentur a fide, vel vacillarent in ea, aut quando ex confessione fidei oriiretur conversio infidelium vel confirmatio fidelium. (n. 11.) Confirmatur can. 1325. § 1.

III. *Numquam, ne ad vitandam quidem mortem, licet dictis vel factis fidem exterius negare, sive serio fiat sive ficte, sive explicite sive implicite; nec falsam religionem dictis vel factis confiteri aut simulare.* Ratio prioris patet ex dictis sub I; ratio posterioris est, quia falsam religionem profiteri perinde est ac veram negare. Porro implicite quis fidem negat quoties eius silentium, tergiversatio aut ratio agendi ex adiunctis fidei negationem importat.

IV. *Licet quandoque fidem DISSIMULARE seu OCCULTARE; nempe ex iusta causa, quando, secundum supra dicta, non est contendi necessitas:*

quia praeceptum affirmativum non obligat ad semper, sed pro aliquo tempore tantum. (n. 12; 2. 2. qu. 3. a. 2. ad 3.)

**313.** — **Resolutiones.** 1º Infideli fidem catholicam amplectenti vel haeretico aut apostatae in gremium Ecclesiae redeunti, *per se* non licet occultare conversionem. *Per accidens* vero ex gravi causa licitum fieri potest eam *ad tempus* occultare; non diu tamen, tum quia urget praeceptum confitendi fidem tum quia practice mox adiuncta occurrit, in quibus conversus aut veram fidem aut sectam profiteri debeat.<sup>1)</sup> — *Moribundus* autem qui ex gravi causa conversionem suam ad fidem publicari renuit, occulte in Ecclesiam recipi potest; nisi obstet ratio scandali vel salutis proximi, ut si agatur de viro conspicuo cuius conversio multos ab errore retraheret. Sed etiam tunc sufficere potest, ut fiat professio fidei coram duobus tantum testibus qui rem posteal divulgare poterunt.<sup>2)</sup>

2º **FIDELIS INTERROGATUS DE RELIGIONE SUA**, si rogatur in causa fidei a *potestate publica*, non potest tacere, sed debet fidem suam profiteri; quia tunc silentium *per se* esset signum aut erubescentiae in fide, aut timoris poenae ob confessionem fidei, aut causa scandali; et sic semper acceptum est in Ecclesia. Unde *per se* est lethaliter peccaminosum in ea occasione tacere; propterea damnata est prop. 18 ab Innoc. XI: «Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenui confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.» *Per accidens* posset non esse peccaminosum, quando scilicet ore tacens *opere* confitetur.

Si rogatur a *persona privata*, ordinarie tacere potest; tunc enim taciturnitas potest esse signum contemptus personae, aut illi responderi potest: «Quid ad te? Quis te iudicem constituit?» (n. 13.)

**314.** — **Quaestiones. I. De occultatione fidei. QUAER.** 1º *An et quibus liceat fugere tempore persecutionis fidei.*

*Resp.*, 1º Pastoribus Ecclesiae, puta Episcopis et parochis, non licet cum periculo gregis fugere; tum quia eorum fuga fidem inhonoraret, tum quia in tali necessitate tenentur populum docere et in fide confirmare, etiam cum discrimine vitae. Constat ex Joan. x. 11. 12: «Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.» Possunt tamen se occultare inter oves, ad melius subveniendum eis. — Sin autem persecutio solum saeviret in Pastores Ecclesiae, relictis ceteris fidelibus in pace, fugere possunt; maxime quia tunc fuga esset gregibus suis utilior.

2º Ceteris, quorum praesentia non est populo necessaria, licet fugere; imo, secluso maiori bono, melius esset, secundum illud Matth. x. 23: «Cum persecutur vos in civitate ista, fugite in aliam.»

3º Illi, pro quibus grave periculum esset fidem abnegandi, fugere tenentur. (n. 14. Catal. part. 1. qu. 5. c. 3. n. 13.)

**QUAER.** 2º *An liceat uti VESTIBUS aut SIGNIS infidelium.*

*Resp. Dist.* Non licet, si ex usu destinata sunt ad profitendam falsam religionem ipsorum, vel impiam aliquam societatem, e. g. Massonum: quia esset quaedam externa confessio falsae sectae, vel impiae societatis, quae confessio intrinsece mala est, etiamsi ficte fiat, fide interius retenta.

<sup>1)</sup> Cfr. S. C. de Prop. Fide. 28 Maii 1635. (Coll. n. 84.)

<sup>2)</sup> Cfr. S. C. de Prop. Fide. 26 Iunii 1790 (Coll. n. 602.); C. I. C. can. 2314. § 2.

Licet vero ex iusta causa, si per se destinata sunt, non ad religionem, sed ad nationem discernendam, puta vestibus Turcarum uti; quia sic significationem civilem habent. (n. 15.)

**QUAER.** 3º *An licet Catholico in hospitiis fidem dissimulare, comedendo carnes diebus Veneris.*

**Resp.** Si comedat ex metu gravis mali citra scandalum, non peccat contra fidei confessionem; quia esus carnium non est per se signum haeresis aut infidelitatis. Atvero, si quis provocetur ad comedendas carnes in contemptum Ecclesiae, ne ob metum quidem mortis potest comedere. (n. 15.)

Hoc ultimum intelligendum videtur de eo, qui aliunde nulla comedendi necessitate compellitur; si enim v. g. paterfamilias incredulus vel haereticus filii suis Catholicis diceret: « *Volo ut die Veneris carnes manducetis idque in contemptum Papae et Ecclesiae,* » filii non peccarent, si protestando contemptum averterent et reponerent: « *Pater, scias nos carnes manducare, quia alios cibos nobis apponere recusas: hoc enim in casu licet nobis illas edere.* » Ita Konings. n. 137.

**II. De communicatione in divinis cum haereticis et infidelibus.** **QUAER.** 4º *Quae communicatio NUMQUAM licita fieri possit.*

**Resp.** Numquam est licita communicatio activa seu formalis qua quis active partes agat in acatholicorum ritibus. Esset enim ministrum acatholicum agnoscere ut religionis ministrum, ac caeremonias falsae sectae honorare. Unde dicit etiam can. 1258. § 1: « *Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum.* » Et qui secus ageret, e can. 2316 haberetur suspectus de haeresi.

Hinc non licet sumere coenam haereticam, Eucharistiam e manibus ministri haereticici, matrimonium celebrare coram eo (can. 1063. § 1 et 2), in eorum conventibus psalmos cum eis cantare, organa pulsare<sup>1)</sup>, in eorum Baptismis officio patrini fungi et huiusmodi.

Notetur etiam prohibitio canonis 1325. § 3: « *Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia Sanctae Sedis aut, si casus urgeat, loci Ordinarii.* » Cfr. infra n. 328 q. 2. 3º. b)

**QUAER.** 5º *Quae communicatio ALIQUANDO licita fieri possit.*

**Resp.** Communicatio materialis seu passiva et sine adhaesione interna licita fieri potest, secluso scandalo et periculo perversionis et accidente causa proportionata. Sequitur ex principiis de cooperatione materiali, et confirmatur can. 1258. § 2, ubi legitur: « *tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sollemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit.* »

Nec est per se illicitum a) cum haereticis toleratis simul orare, dummodo privatim fiat et preces orthodoxae sint; b) templa haereticorum vel infidelium ex mera curiositate visitare ad ea perlustranda; est enim actio indifferens; c) assistere funeri eorum, obsequium mere civile exhibendo, quale esset v. g. corpus ad coemeterium comitari; d) matrimonium, ritu catholico celebratum aut celebrandum, coram magistratu haeretico civiliter contestari, aut etiam coram ministro haeretico qua teste civili (can. 1063. § 1); e) semel iterumve passive assistere haereticorum officiis sine participatione vel conciones eorum audire ex curio-

<sup>1)</sup> Ita S. C. de Prop. Fide. 8 Iulii 1889. (Coll. n. 1713.)

sitate, dummodo absint scandalum aliorum catholicorum et periculum propriae perversio[n]is. (Cfr. Decr. S. Off. 10 Maii 1770.)<sup>1)</sup>

QUAER. 6º *An liceat Catholico assistere sepulturae civili, uti hodie vocant.*

*Resp. Dist.* Quando haec sepultura nullam habet significationem irreligiosam, licet ei assistere, obsequium mere civile exhibendo ex causa cognationis, urbanitatis, aliave simili. Quando vero Religionis contemptor sic profane sepelitur in contemptum Religionis et ad significandum nihil a Deo sperandum vel timendum esse post hanc vitam, non licet; quia talis sepultura vel contemptus Religionis detestanda est. Multo minus licet assistere sepulturae massonicae quae fit cum insignibus sectae; quia haec sepultura est publica ostentatio contra Religionem, cui se adiungere non licet.

Ob similem rationem generatim saltem etiam illicitum videtur assistere cremationi corporis, ab Ecclesia prohibitae.<sup>2)</sup>

QUAER. 7º *Quid S. Sedes declaraverit pro nonnullis caeremoniis publicis et ritibus privatis in Imperio Japonico.*

*Resp. 1º* Caeremoniis quae fieri solent ad monumenta Jinia a Gubernio civiliter administrata, fidelibus licitum est interesse et more ceterorum civium agere, declarata sua intentione si quando hoc necessarium apparuerit ad falsas interpretationes sui actus removendas. Ratio est quia ex una parte his caeremoniis iam annexatur ab auctoritatibus civilibus (ut ex explicitis declarationibus plures datis constat) itemque communi cultiorum hominum sensu mera significatio patrii amoris, filialis sc. reverentiae erga familiam imperialem et patriae benefactores, ita ut huiusmodi caeremoniae valorem mere civilem induerint. Ex altera parte, cum persuasio late diffusa sit agi non de ritibus religiosis, sed de mere civilibus consuetudinibus, catholici si iis non participant facile creduntur esse frigidi erga patriam, ab iis etiam qui doctrinae catholicae inimici haud sunt, ita ut non tantum fideles inde multum afflentur, verum etiam animi aversentur a via salutis ingredienda. Quapropter fideles hoc sensu ab Ordinariis locorum docendi sunt.

2º Ordinarii permittere possunt ut fideles, quando intersunt funeribus, matrimonii aliisque privatis ritibus in vita sociali iaponensi usitatis, participes fiant sicut ceteri (declarata, si necessarium, sua intentione, ut supra) omnium illarum caeremoniarum quae, quamvis forte a superstitione originem duxerint ex circumstantiis tamen locorum et personarum et ex communi aestimatione nunc temporis non retineant nisi sensum urbanitatis et mutuae benevolentiae. Ita ex Instr. S. C. de Prop. Fide 26 Maii 1936.<sup>3)</sup>

QUAER. 8º *Quid S. Sedes declaraverit quoad participationem cultui Confucii et assidentiam funeralibus praestitam in litteris dutis ad Vic. Ap. de Kirin?*

*Resp. 1º* Ordinarii locorum ad evitandum omne scandalum prudenter notificant litteras illas quibus auctoritas publica cultibus praeposita declaravit caeremonias in honorem Confucii nullum omnino habere characterem religiosum.

<sup>1)</sup> Ob scandalum secus oriturum instructio Card. Vic. Urbis 12 Iulii 1875. n. 5. strictissime prohibuit ne aliquis ex mera curiositate Romae aulas et tempa protestantium tempore collationum seu conferentiarum ingredetur; et graviter peccare declaravit qui ex mera curiositate conferentias protestantium audirent aut etiam pure materialiter caeremoniis acatholicis assisterent.

<sup>2)</sup> Cfr. infra tom. II. n. 1097. II; Groenen. *Lijverbranding*; Noldin. n. 717-18; *Revue du Clergé français* 1915. p. 211. Formaliter cooperari cremationi numquam licet. Sub quibusdam conditionibus liceat materialiter cooperari habes ex Resp. S. Off. 27 Iulii 1892. Coll. n. 1808. Cfr. etiam can. 1203. § 1.

<sup>3)</sup> A. A. S. XXVIII, 1936. p. 406.

2º Idem Ordinarii in normis hac in re pro fidelibus stabiendi iuxta declarationem illam officialem ex officio datam procedant.

Ita S. S. Pius XI in audience Secretario S. C. de Prop. Fide concessa.

Sacra autem Congregatio pro parte sua subiunxit in normis pro fidelibus stabiendi Ordinarios sese posse conformare decisionibus iam antea in congressu quodam ab ipsis collegialiter admissis. Harum autem summa est:

1. In scholis missionum si legitima auctoritas civilis ita iubeat, tolerari posse expositionem imaginis Confucii idque in aedicula etiam ornata eaque simili aediculis in quibus tabellae progenitorum honorantur, atque inclinationem discipulorum coram ista imagine; instruendo discipulos de charactere mere civili istorum; non vero erectionem speciei altaris cum candelabris, incenso etc.

2. In scholis paganis tolerari posse discipulorum christianorum participationem passivam honoribus Confucio tribui solitis, ut supra, inclusa inclinatione; etiam coram tabella Confucii imagine deficiente; si sc. discipuli ita facere coguntur.

3. Tolerari posse ex gravi necessitate cooperationem materialem etiam proximam ad sacrificia; etiam cantus mere patrioticos in honorem Confucii, non vero cantus qui sese referunt ad ipsum sacrificium, nec terminato sacrificio participationem de victima, sed solam inclinationem.

4. Tolerari posse cooperationem ad construenda vel reparanda temporaliaque aedificia in honorem Confucii; quoad tempora vero alterius cultus non nisi mediante taxa inclusa globatim in aliis tributis. Pari modo nec tolerari posse cooperationem ad comoedias superstitiosas nisi taxa in aliis tributis inclusa sit.

5. Tolerari posse assentiam mere passivam funeralibus privatis; etiam inclinationem coram defuncto aliosque actus externos honorificos tamquam honores mere civiles, etsi olim christianis graviter fuerint interdicti.<sup>1)</sup>

QUAER. 9º Quid S. Sedes declaraverit circa quasdam caeremonias in regno Sinensi.

*Resp.* 1º Cum Sinense Gubernium plures aperteque enuntiaverit omnibus esse liberum quam malint religionem profiteri et alienum esse a sua mente de rebus religiosis leges aut iussa edere; ideoque caeremonias, quae in honorem Confucii a publicis Auctoritatibus sive peraguntur sive iubentur, non fieri animo tribuendi religiosum cultum, sed hunc solum in finem ut foveatur et expromatur in virum clarissimum dignus honor et in traditiones patrum debitus cultus: licetum est catholicis adesse actibus honoris qui ante Confucii imaginem vel tabellam, in monumentis confucianis vel in scholis perficiuntur.

2º Ideoque non habendum est illicitum imaginem Confucii, vel etiam tabellam eius nomine inscriptam, in scholis catholicis collocari, praesertim si Auctoritates id iusserint, aut eam capitatis inclinatione salutare. Si quando timeatur scandalum, declaretur recta catholicorum intentio.

3º Tolerandum ut catholici magistratus et alumni, si publicis caeremoniis adsistere iubeantur quae speciem prae se ferant superstitionis, intersint quidem, dummodo, ad mentem can. 1258, passive se habeant signaque illius tantum obsequii faciant quod ut mere civile haberri possit; declarata, ut supra, sua in-

<sup>1)</sup> Cfr. litteras S. C. de Prop. Fide ad Vic. Apost. in Kirin, 28 Maii 1935. Non invenitur in Actis Ap. Sedis sed in diario «Osservatore Romano» 2 Iulii 1936, atque in *Sylloge* n. 192, ubi plura alia. Textus *Sylloge* in accidentalibus discrepat a textu apud «Osservatore Romano.»

tentione, si quando hoc necessarium apparuerit ad falsas interpretationes sui actus removendas.

4º Inclinationes capitum atque aliae civilis observantiae manifestationes ante defunctos vel defunctorum imagines, et etiam ante tabellam defunctorum, simplici nomine inscriptam, ut licet et honestae habendae sunt. Ita ex Instr. S. C. de Prop. Fide 8 Dec. 1939.<sup>1)</sup>

**Nota.** *Dispensatum* est in obligatione iuramenti super ritibus, ubicumque sive in Sinis, sive alibi illud in usu esset; etiam in iuramento super ritibus mala-  
baricis, firma obligatione de cetero observandi praescripta Benedicti XIV, quatenus a S. Sede non sunt immutata; praemissis prohibitione super ritibus sinen-  
sibus disputandi. Cfr. Instr. cit. S. C. de Prop. Fide 8 Dec. 1939. Decr. eiusdem  
S. C. 9 Martii 1940.<sup>2)</sup>

## § II. - PRAECEPTUM ECCLESIASTICUM.

**315. — Professio fidei quibusdam in Iure praescripta.** Ex iure ecclesiastico (can. 1406. § 1) obligatione emitendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam (quae formula invenitur initio Codicis<sup>3)</sup>), reprobata qualibet consuetudine contraria, tenentur:

1º Omnes qui Concilio oecumenico vel particulari aut Synodo dioecesanae intersunt cum voto seu consultivo seu deliberativo, — coram praeside eiusve delegato, praeses autem coram eodem Consilio vel Synodo.

2º Promoti ad Cardinalitiam dignitatem, — coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario.

3º Promoti ad sedem episcopalem etiam non residentialem, vel ad regimen Abbatiae vel Praelatura nullius, Vicariatus Apostolici, Praefecture Apostolicae, — coram delegato ab Apostolica Sede.

4º Vicarius Capitularis, — coram Capitulo cathedrali.

5º Promoti ad dignitatem vel canonicatum, — coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo.

6º Assumpti ad officium consultorum dioecesanorum, — coram loci Ordinario eiusve delegato et coram aliis consultoribus.

7º Vicarius Generalis, parochi et provisi de beneficiis quibusvis, etiam manu-  
nibus, curam animarum habentibus; rector, professores theologiae, iuris canonici et philosophiae in Seminariis, initio cuiuslibet anni scholastici vel saltem initio suscepti munericis; promovendi ad ordinem subdiaconatus; librorum censores in curis episcopalibus: sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri con-  
cionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi, — coram loci Or-  
dinario eiusve delegato.

8º Rector Universitatis vel Facultatis, — coram Ordinario eiusve delegato; coram Rectore vero Universitatis vel Facultatis eiusve delegato, — professores omnes in Universitate seu Facultate canonice erecta, initio cuiusque anni scho-

<sup>1)</sup> A. A. S. 1940. p. 24.

<sup>2)</sup> A. A. S. 1940. p. 24 et p. 379.

<sup>3)</sup> Est ea quae iam olim a Pio IV in constitutionibus *In sacrosancta et In iunctum nobis* 13 Nov. 1564 praescripta, atque a Pio IX decreto S. C. C. 20 Ian. 1877 secundum definitiones Vaticananas completa fuit. Tantummodo in fine, loco *immaculatam* legitur *inviolatam*.

lastici vel saltem initio suscepti muneris; itemque qui, periculo facto, *academicis gradibus* donantur.

9º *Superiores in religionibus clericalibus*, — coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato.

*Notanda.* I. Circa hanc obligationem notes: a) Qui priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem, etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere. (can. 1406. § 2.)

b) Obligationi fidei professionem emitendi non satisfacit qui eam per procuratorem vel coram laico emitit. (can. 1407).

c) Reprobata est ab Ecclesia quaelibet consuetudo contra ea quae de professione fidei modo statuta sunt. (can. 1408; cfr. et can. 27. § 2; n. 207.)

d) Qui hanc fidei professionem sine iusto impedimento emittere negligat, moneatur, praefinito congruo termino; quo transacto, contumax, etiam per privationem officii, beneficii, dignitatis, munieris, puniatur; nec interim beneficii, officii, dignitatis, munieris fructus facit suos. (can. 2403).

e) Codex quidem directe obligat supradictos, indirecte vero inde obligantur Superiores ad curandum ut fidei professio coram ipsis eorumve delegatis vel collegio a Codice indicato fiat; quodsi renuant, subditi impotentia excusantur. Cfr. Vermeersch. *Op. Mor.* I. n. 21.

II. Praeter obligatos ex canone 1406, aliqui insuper obligatione emitendi professionem fidei tenentur ex legibus *liturgicis*, quippe quae (ex can. 2.) vim suam retineant, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur. Formula adhibenda ea est quae in ipsis libris liturgicis traditur. Unde hoc modo tenentur adhuc baptizandi,<sup>1)</sup> redeuntes ab haeresi vel schismate in gremium Ecclesiae,<sup>2)</sup> ordinandi presbyteri in ipsa Ordinatione.<sup>3)</sup>

III. Ex dictis infertur *iuramentum anti-modernisticum* a Pio X impositum Motu Proprio *Sacrorum Antistitum* (A. A. S. 1910. p. 669) non iam requiri vi Codicis; attamen ex decreto S. C. Off. 21 Mart. 1918 (A. A. S. 1918, p. 136) praescriptum huius iuramenti in suo robore permanere debet usquedum hac super re Apostolica Sedes aliter statuerit. Iamvero ex praefato Motu Proprio et subsequentibus declarationibus S. C. Consist. ad praedictum iusurandum secundum formulam praescriptam et proprio nomine subscriptam suo Antistiti tradendam obligantur: 1º quotannis, ineunte anno, ii qui docent in scholis clericorum institutioni destinatis; idem quotannis praestare debent suis Moderatoribus doctores et lectores in Ordinibus religiosis, ante auspicandas preelectiones<sup>4)</sup>; — item clerici Maioribus Ordinibus initiandi; — confessarii et concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi; — parochi, canonici, beneficiarii, ante ineundam beneficii possessionem; — officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario Generali et iudicibus; — adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus; — officiales Curiae Romanae coram Cardinali Praefecto vel Secretario Congregationis vel Tribunalis; — reli-

<sup>1)</sup> *Rituale Romanum*, tit. 2. c. 4. n. 32.

<sup>2)</sup> *Pontificale Romanum*: Ordo ad reconciliandum apostamatam, schismaticum vel haereticum. Cfr. Instr. S. Off. 20 Iulii 1859 ad Ep. Philad. (Cfr. *Theol. Past.* n. 113.) Brevior formula deinceps fuit concessa Episc. Philad. indulto 4 Ian. 1914, pro eccl. Philad. et Baltim. Cfr. etiam infra n. 326 et tom. II. n. 1045.

<sup>3)</sup> *Pontificale Romanum*: de Ordinatione presbyteri.

<sup>4)</sup> Ita ex declar. S. C. Consist. 25 Sept. 1910. (A. A. S. 1910. p. 740.)

giosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

**315<sup>bis</sup>.** — Scholion. *De obligatione fidem propagandi.* I. Ecclesiae, independenter a qualibet civili potestate, *ius est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi.* (can. 1322. § 2.) Sequitur ex verbis Christi apud Matth. xxviii. 19: « Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; » et apud Marc. xvi. 15: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. » Cfr. etiam Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. et can. 7.

II. Hoc ius et officium commissum praecipue est Romano Pontifici pro universa terra, quippe cui supremum et universale competit magisterium; dein Episcopis pro suis dioecesibus, cum dependentia a Pontifice. Ceterorum nemini ministerium praedicationis licet exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, facultate peculiariter data, vel officio collato, cui ex sacris canonibus praedicandi munus inhaereat. Cfr. can. 1327 et 1328.

III. Hinc, quoad fidei praedicationem inter acatholicos: *Ordinarii locorum et parochi acatholicos in suis dioecesibus et paroeciis degentes commendatos sibi in Domino habeant.* In *aliis territoriis* universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur. Ita can. 1350. S. Sedes autem hoc munus exercet praesertim ope S. Congr. de Prop. Fide, et, pro christianis dissidentibus ritus orientalis, ope S. C. Orientalium.

IV. Ut autem S. Sedes huic muneri rite vacare possit, indiget cooperatione totius Ecclesiae. Et quidem cooperari debent: 1º Ordines et Congregations religiosae et Societates Missionariorum, prout ad tales scopum fuerunt institutae vel etiam a S. Sede requisitae; cooperari tenentur providendo fideliter Missionibus ipsis a S. Sede concreditis.

2º Pastores animarum, tam Episcopi quam parochi aliique, promovendo vocationes missionarias, adhortando fideles ad preces fundendas et eleemosynas largiendas, favendo operibus hunc in finem a S. Sede commendatis, scil. Consecrationi missionali Cleri, operibus a Propaganda Fide, ab Infantia et S. Petri pro Clero indigeno. Cfr. Litt. Enc. *Maximum illud*, 30 Nov. 1919<sup>1)</sup> et *Rerum Ecclesiae*, 28 Febr. 1926.<sup>2)</sup>

3º Simplices fideles etiam obligationem habent cooperandi propagationi fidei. Hinc: a) *Populus Christianus in genere* utique tenetur concurrere ad opus missionariorum tum oratione tum eleemosynis. Sequitur ex eo quod *finis* cuiuslibet societatis postulat membrorum cooperationem cum capite ad finem obtinendum, quatenus tum finis tum cooperatio necessaria sint. Porro, propagatione fidei est *finis Ecclesiae necessarius* neque potest sine membrorum cooperatione a solis Ecclesiae Superioribus obtineri. Sequitur insuper ex pracepto *caritatis* erga proximum quatenus ex una parte acatholici versantur in gravi necessitate spirituali, ex qua sine communi totius Ecclesiae concursu non possunt salvari, et in qua ex altera parte Catholicci in genere sine nimio incommmodo multum adiuvare possunt. Confirmatur demum ex documentis pontificiis citatis quae obligationem subveniendi Missionibus, non tantum prece sed etiam stipe,

<sup>1)</sup> A. A. S. 1919. p. 440.

<sup>2)</sup> A. A. S. 1926. p. 65.

gravissimis verbis inculcant et urgent tamquam sanctam charitatis legem quae eo sanctius est servanda quo altius bonum gravius periclitatur. Hinc:

*b) Singuli* fideles non tantum *precibus* suis pro extensione regni Dei Missionibus subvenire debent prout docemur in oratione Dominica; verum etiam omnino dicendum videtur hodiecum quicumque *superflua* habeat ex iis pro viribus etiam Missionibus subvenire debere. Deficientibus enim aliis subsidiis sufficientibus quae antiquitus forsitan sufficienter habebantur ex patrimonio Ecclesiae et dotazione guberniorum christianorum, nulla adest ratio cur non singuli pro viribus teneantur. Quapropter quisque qui superflua habeat saltem modicam illam stipem solvere debet quae ab operibus missionalibus pontificis postulatur; imo si multa superflua habet etiam largius Missionibus subveniat oportet. Quae quidem obligatio caritatis, attenta gravissima de qua agitur necessitate, ex genere suo gravis dicenda videtur, ita ut qui ex multis suis superfluis vix aliquid umquam suppeditaret, obiective a gravi peccato excusari non posset.

Nota tamen ex dictis non sequi aliquem in particulari teneri fieri *missionarium* ob necessitatem spiritualem populorum infidelium; quia necessitatibus huiusmodi permanenti totius generis humani providere directe non spectat ad singula individua, sed ad totam Communiteatem ecclesiasticam; quae huic necessitati providet, quantum id pro conditione rerum humanarum fieri potest. Secus omnes qui idonei sunt, omnia in hunc finem relinquere deberent, quum nulla sit ratio cur unus praे aliis teneatur. Cfr. S. Alf. Corr. Gen. XVII; Salm. Mor. tr. 21. c. 6. n. 32; Vermeersch. II. n. 101.

### CAPUT III

#### PECCATA CONTRA FIDEM

316. — Ex dictis colligi possunt peccata contra fidem: nimirum 1º contra praeceptum *sciendi* est voluntaria *ignorantia* rerum scitu necessariarum; 2º contra praeceptum *credendi* sunt *infidelitas* et *haeresis* formales, nempe post sufficientem veritatum fidei propositionem; 3º contra praeceptum *confitendi* fidem sunt *dissimulatio fidei*, quando confitenda esset, (de qua iam egimus), eius *externa negatio*, et *simulatio falsae religionis*, quae duae numquam licent.

Speciatim hoc loco dicendum est de iis peccatis, quae directe fidei opponuntur, scil. de infidelitate et de haeresi.

#### *Articulus I.*

##### *Infidelitas.*

317. — **Notio.** Infidelitas proprie dicta est parentia fidei in homine non baptizato. Triplex distinguitur: 1º *negativa*, quae invincibilis est, cum adultus sine ulla culpa fidem non habet; 2º *privativa*, quae vincibilis

est, quando quis *auditum* non aut non sufficienter praebet veritati fidei catholicae, dum se obligatum agnoscit ad eum praebendum; quod quidem peccatum est omissionis; 3º *positiva*, cum veritati fidei sufficienter propositae non praebet *assensum*, imo eam falsam vel dubiam iudicat; et hoc est peccatum commissionis.

318. — **Principia.** I. *Infidelitas* PURE NEGATIVA non est peccatum, sed tantum poena peccati. Ratio prioris patet, quia provenit ex ignorantia invincibili; ideo damnata est prop. 68 Baii: «*Infidelitas* pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.» Ratio posterioris est, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est.

Hinc eiusmodi infideles non damnabuntur ob infidelitatem, sed ob alia peccata contra legem naturalem; quam si servent ope gratiae, Deus certissime providebit de necessariis ad salutem, sive per internam inspirationem sive per aliquem fidei praedicationem. (S. Thom. qu. 14. de verit. a. 11. ad 4.)

II. *Infidelitas* PRIVATIVA peccatum est; et quidem semper peccatum grave si est directe voluntaria; secus vero erit peccatum grave vel leve, pro maiori vel minori negligentia in inquirenda veritate fidei catholicae.

III. *Infidelitas* POSITIVA est peccatum gravissimum. Ratio est quia tanto aliquod peccatum est gravius, quanto per ipsum homo magis a Deo separatur; per infidelitatem autem maxime homo a Deo alienatur, cum ne credat quidem ipsi; ergo peccatum infidelitatis est maius omnibus peccatis, quae contingunt in perversitate morum. (2. 2. qu. 10. a. 3, qu. 162. a. 7. ad 3.)

*Quaeritur An possint Principes Christiani tolerare ritus infidelium.*

*Resp.* 1º Infidelium ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sunt tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandum, puta scandalum, vel dissidium, vel impedimentum salutis eorum, qui tolerati paulatim convertuntur ad fidem; propter hoc enim haereticorum et paganorum ritus aliquando Ecclesia toleravit.

2º Judaeorum ritus tolerantur: quia inde bonum provenit quod testimonium fidei nostrae habemus ab hostibus, et quasi in figura nobis representant quod credimus. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 10. a. 11. (n. 18.)

## *Articulus II.*

### **Haeresis.**

#### § I. - PECCATUM HAERESEOS.

319. — **Notio.** Haeresis definiri solet: Error voluntarius et pertinax hominis Christiani contra unam vel plures veritates fidei divinae et catholicae credendas. Dicitur: 1º *error*, scil. in intellectu; non autem in opere

externo aut in sermone tantum; 2º *voluntarius*; secus enim non esset peccatum; 3º *pertinax*, id est cum quis veritati fidei sufficienter sibi propositae sciens et volens renititur; 4º *hominis Christiani*, qui nempe Baptismo fidem suscepit; 5º *contra unam vel plures veritates fide divina et catholica credendas*, id est ab Ecclesia tamquam divinitus revelatas ut credendas propositas sive sollemini iudicio, sive ordinario et universali magisterio. (n. 19; can. 1325. § 2.)

Aberratio Christiani a veritatibus fidei ex parte, dicitur *haeresis*: aberratio vero ex toto, vocatur *apostasia a fide*. (n. 17.) Unde non omnis haereticus est apostata, imo communiter haereticus non est apostata.

320. — **Divisio.** Haeresis distinguitur: 1º *formalis*, quae coniuncta est cum pertinacia; *materialis*, quae sine pertinacia exsistit, utpote ex ignorantia proveniens.

2º *Interna*, quae tantum interius mente concepta est; *externa*, quae verbis aut signis exterius declarata est.

3º Externa est vel *publica*, si enuntietur coram pluribus: vel *occulta*, si proferatur coram paucis ita ut celari possit, imo etiamsi nemine praesente dicatur.

321. — **Principium.** *Haeresis FORMALIS et apostasia a fide sunt peccata gravissima, sicut infidelitas.* Haeresis vero *pure materialis*, procedens ex ignorantia invincibili, vacat omni culpa; constat ex dictis n. 43. — Hac de re S. Thomas scripsit: « Aliquis gravius contra fidem peccat, qui fidei renititur susceptae, quam qui renititur fidei nondum susceptae, sicut gravius peccat qui non implet quod promisit, quam si non implet quod numquam promisit... Unde, simpliciter loquendo, infidelitas haereticorum (et multo magis apostatarum) est pessima. » (2. 2. qu. 10. a. 6.)

322. — **Resolutiones.** Ex praemissis colligo: 1º Non est haereticus, qui exterius tantum fidem negat, fide interius retenta; quia non errat. (n. 19. sub 1.)

2º Qui tenet aliquid contra fidem, sed ignorat esse doctrinae Ecclesiae contrarium, ac paratus est iudicio Ecclesiae se submittere, non est haereticus formalis; quia quisquis voluntatem habet subdendi iudicium suum auctoritati Ecclesiae, eo ipso agnoscit in illa infallibilem auctoritatem et ei subditur propter verbum Dei, proinde non est pertinax. (n. 19. sub 3 et 4.)

3º Qui in iis, quae ab Ecclesia necdum definita sunt, tam mordicus suaee opinioni adhaeret, ut deliberatum sibi esset in opinione sua persistere, etiamsi Ecclesia contrarium definiret, haereticus formalis est; quia proprium iudicium praefert iudicio Ecclesiae, atque ideo huius auctoritatem infallibilem non admittit (Filliuc. n. 176.).

323. — **Quaestiones.** QUAER. 1º *An error in fide ex ignorantia VINCIBILI satis sit ad haeresim formalem.*

*Resp.* 1º Error ex ignorantia crassa, ac propterea culpabili, non est proprie haeresis formalis, quia qui ignorat doctrinam Ecclesiae, non potest voluntarie illi

contradicere, proinde non est pertinax. Est tamen peccatum mortale contra fidem, quod reducitur ad haeresim, tamquam imperfecta species ad perfectam; quia id etiam accidit in aliis peccatis ex ignorantia crassa; reducuntur enim ad eamdem speciem, cuius essent, si ex scientia commissa fuissent.

2º Error ex ignorantia *affectata*, si quidem affectatio oriatur ex contemptu auctoritatis Ecclesiae, vel ex adhaesione in opinione sua, est vera haeresis; quia despectus auctoritatis *infallibilis* Ecclesiae et affectus ad licentiam opinandi potius quam ad credendum Ecclesiae, haereses sunt. Sin autem affectatio oriatur ex metu ne cogatur mutare sententiam, non est haeresis; quia cum illa voluntate ignorantis stat voluntas obediendi Ecclesiae quando de eius definitione constituerit, imo in casu haec voluntas virtualiter includitur: ideo enim vult nescire doctrinam Ecclesiae, quia non vult illi resistere. (*Lib. 7. n. 301*; cfr. et Laym. *Lib. 2. tr. 1. c. 13. n. 2.*)

*QUAER. 2º An dubitans de aliqua fidei sit haereticus formalis.*

*Resp. Dist.* Qui vere dubitat, i. e. pertinaciter *iudicat* veritates fidei dubias esse, haereticus formalis est; quia de fide est veritates fidei infallibiliter certas esse; voluntarie autem sic dubitans negat hanc certitudinem; ergo. Inde in *Cap. 1. de haeret.* dicitur: «*Dubius in fide, infidelis est.*» Ita etiam can. 1325. § 2.

Qui vero *suspendit* iudicium, ad alia se divertens ne mentem fatiget vel ut ad aliam cogitationem se applicet, non est haereticus; quia, cum nullum praebat assensum, nullum admittit errorem. Excipe, si quis ideo suspendit iudicium, quia virtualiter cum pertinacia iudicat aliquod dogma esse dubium. (*n. 19. sub 2. Lib. 7. n. 302. H. A. n. 5. Filluc. tr. 22. n. 159-161.*)

Qui demum ideo dubitat vel iudicium suspendit, ut interim veritatem inquirat et veritati inventae assentiat (ut in iis occurriere potest qui nati sunt in haeresi), haereticus formalis non est, quia deest pertinacia. Neque ergo ita dubitando peccat. (Laym. *n. 5.*)

*QUAER. 3º An quis ab Ecclesia deficere possit sine peccato haeresis formalis.*

*Resp. Affirmandum* videtur non esse omnino impossibile hoc evenire sine peccato formalis haeresis, attamen non sine omni peccato gravi. Etenim, etiam aliis peccatis homo se privare potest speciali illa providentia divina sine quavis conditionibus in quibus versatur, moraliter ei impossibile est superare difficultates perseverantiae in fide; ita ut tandem aliquando sibi persuadeat catholicam fidem esse dubiam, ita tamen dispositus, ut si eam certam esse perspiciat, eam retinere velit. Tunc ergo, ob defectum pertinacie, sine peccato haeresis formalis a fide defecit; at non sine gravi peccato, quo nempe causam huius defectus posuit. (Pesch. *de Fide theol. n. 383. Gregorianum. 1926. p. 3 et 203.* Cfr. Conc. Vat. sess. 3. c. 3.)

*QUAER. 4º An haereticus sit, qui negat CONCLUSIONEM THEOLOGICAM, deductam videlicet ex duabus praemissis, quarum una est de fide, altera ex ratione naturali.*

*Resp.* Non est per se et necessario haereticus stricte dictus, quia non negat propositionem immediate in se seu formaliter a Deo revelatam; peccat tamen quia negat *assensum theologicum* uti dicunt, quem talibus veritatibus debet. Imo, si conclusio per evidenter consequentiam infertur, haereticus recte prae-sumitur; quia negat propositionem mediate in sua causa revelatam, unde prae-sumitur negare non veritatem rationis vel illationem, quae evidentes sunt, sed

ipsam praemissam de fide ex qua deducitur. (Filliuc. n. 179. Catalan. part. 1. qu. 5. cap. 7. n. 10.)

QUAER. 5º *Quale et quantum peccatum committat fidelis qui recusat assensum DOCTRINIS A S. SEDE PROPOSITIS.*

*Resp. Dist.* 1º Qui recusat assensum irrevocabilem doctrinae, quam Romanus Pontifex sollempni iudicio seu ex cathedra tamquam divinitus revelatam credendam proposuit, committit peccatum grave *haereseos* contra fidem divinam et catholicam. Declarata vero seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constituerit. (can. 1223.)<sup>1)</sup>

Idem dicendum est de doctrina ordinario et universalis magisterio Ecclesiae tamquam divinitus revelata proposta. Cfr. Conc. Vatic. de fide. c. 3; v. Noort. n. 205. *sequ.*

2º Qui recusat assensum irrevocabilem doctrinae non quidem formaliter revelatae, sed tamen ab Ecclesia *infallibili iudicio* propositae sive positive eam statuendo sive damnando contrariam, committit peccatum grave contra fidem.

3º Qui recusat assensum religiosum quem vocant, etiam internum, doctrinae quam S. Sedes (id est, e can. 7, Romanus Pontifex sive per se sive per Congregationes, etiam per Commissionem biblicam)<sup>2)</sup>, magisterio *authentico* quidem, at non *infallibili* tradidit, peccat *graviter* contra subiectionem, auctoritati ecclesiasticae debitam in iis quae ad fidem referuntur et quae pro tuenda fide statuuntur, quem semper agatur de re gravi, de sana dico doctrina in fidelibus tuenda.

Assensum etiam *internum* requiri neque ergo sufficere silentium obsequiosum, sequitur tum ex natura rei, quum agatur de decisione non mere disciplinari, sed *doctrinali*, tum ex modo loquendi SS. Pontificum.<sup>3)</sup> Hoc autem valet tam de doctis quam de aliis, quia Ecclesia magisterium suum exercet erga omnes fideles. — At, non requiritur assensus ita firmus, ut etiam possibilitas erroris excludatur, quum Ecclesia eo in casu non edat decretum infallibile ideoque irreformabile. Sed requiritur assensus sive *certus* qui excludit non quidem possibilitatem, attamen formidinem erroris; sive etiam *opinativus*, qui ne omnem quidem formidinem erroris excludit; pro vario gradu certitudinis cum qua ipsa S. Sedes aliquam doctrinam proponere vel damnare videtur. Ceterum, bene semper attendendum est, utrum S. Sedes ipsam doctrinam an tantum eius securitatem vel opportunitatem profigare voluerit. Quibus rite attentis, plures difficultates evanescunt.<sup>4)</sup> — Si nihilominus postea rationes gravissimae pro tempore. S. Sed latuisse demonstrantur, debita cum reverentia assensum suspendere, imo a decisione olim data recedere licitum fieri potest.<sup>5)</sup>

Ex dictis sequitur absolviri non posse, qui vocantur *Catholici Liberales* ac pertinaciter adhaerent alicui ex propositionibus a Pio IX damnatis in Syllabo erro-

<sup>1)</sup> Quandonam autem manifeste constet, S. Pontifice ex cathedra dogmata fidei vel etiam veritates theologicas proposuisse, est quaestio in Theologia Dogmatica perpendenda. Cfr. Mazzella. *de Ecclesia*. n. 1050 et 385; N. K. St. 1908. p. 4-12 et 1931. p. 98-108. — Quod Syllabus Pii IX cfr. de Groot *Summa Apologetica*, qu. 16. a. 7; van Noort. *de Fontibus Revelationis*. n. 263; Mannens. *Theol. Dogm. Inst.* 1. n. 668.

<sup>2)</sup> Cfr. Motu Proprio Pii X. 18 Nov. 1907.

<sup>3)</sup> Cfr. Breve Pii IX. 15 Iunii 1857 circa decr. S. C. Ind. prohibens opera Guntheriana. Item Epist. *Tuas libenter* 21 Dec. 1863 ad archiep. Monaco-Frisigenensem: Decr. *Lamentabili* 3 Jul. 1907, prop. 8; C. I. C. can. 1324; Enc. *Casti Conn. A. A. S.* 1930. p. 580.

<sup>4)</sup> Cfr. N. K. St. 1914. p. 81; Pohle. *Lehrb. der Dogm.*<sup>3</sup> I. p. 248. 249; v. Noort. *de Deo Uno et Trino*<sup>2</sup>. n. 147. nota 2.

<sup>5)</sup> Cfr. G. M. Card. van Rossum. *de Essentia Sacramenti Ordinis*. n. 428 *sequ.*; Mannens. *Theol. Dogm. Inst.* 1<sup>2</sup>. n. 767.

rum. Neque eiusmodi Liberales, si forte bona fide errant, praesertim si qua gaudent auctoritate politica, relinquendi sunt in bona fide; nam errores Liberalismi admodum perniciosi sunt, non solum singulis, sed et societati atque familiae. — Neque, per se saltem, absolvvi posse videntur sacerdotes, etiam perdocti, qui se submittere renunt, etiam interne, decisionibus Commissionis Biblicae.<sup>1)</sup>

324. — Nota pro praxi. Insurgentibus temptationibus contra fidem: 1º expedit constanti animo generatim respondere: «Credo quidquid S. Mater Ecclesia credit, quae veritatem credit et confitetur.» 2º Aptissimum remedium est eas contemnere, mentem alio divertere, atque ad orationem confugere; quia disputando cum eis, et repellendo illas, tenacius infiguntur in imaginatione magisque accenduntur. — In quibusdam hominibus eiusmodi tentationes a Deo permittuntur propter vitam illorum sceleratam, praesertim ob impunitatis vitium, nimiamque proprio iudicio adhaesione; qui proinde adhortandi sunt ut se corrigant, tunc fides eorum atque fiducia in Deo constantior erit. (*Praxis Conf.* n. 238. *Filliuc.* n. 166.)

Ad *praecavendas* temptationes contra fidem, necesse est fugere pericula fidei, de quibus in sequenti Capite dicemus.

## § II. - POENAE HAERESOS.

325. — I. HAERETICUS, qui etiam EXTERNE peccatum haereseos commisit, 1º incurrit ipso facto in *excommunicationem*; 2º nisi monitus resipuerit, *privetur* beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeat, *infamis declaretur*, et clericus, iterata monitione, *deponatur*; 3º si sectae acatholicae nomen dederit vel publice adhaeserit, ipso facto *infamis* est et clericus ipso facto et sine ulla declaratione officio suo est *privatus*, atque, monitione *praemissa*, *degradetur*; (can. 2314. § 1; cfr. et can. 2242.)<sup>2)</sup> 4º vi can. 985. 1º est etiam irregularis.

II. SUSPECTUS DE HAERESI, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur et clericus *praeterea*, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis; quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tamquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius. (ca. 2315.)

Nomine autem suspecti de haeresi in genere venit quisquis a Iure ita declaratur. Hinc in specie est suspectus de haeresi ille, qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra *praescriptum* can. 1258. (can. 2316; cfr. supra n. 314. *qu. 4*); item, qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam, vel qui scienter liberos suos acatholicis

<sup>1)</sup> Cfr. N. K. St. 1909. p. 265. *sequ.*

<sup>2)</sup> Quoad punitionem docentium errores non formaliter ut haereticos damnatos, cfr. can. 2317. Allae etiam poenae et inabilitates haereticorum, praesertim in ordine ad Sacraamenta, suis locis tradentur. Cfr. interim can. 167. § 1. n. 4; 731. § 2; 756. n. 2; 795. n. 2; 1240; 2339; 1452. § 1; 1470. § 1. n. 6; 2372.

ministris baptizandos offerre praesumunt, vel parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos tradunt (can. 2319); item qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit (can. 2320); cfr. et can. 2332. 2340. 2371, ubi etiam alii casus habentur.

**326. — Quaestiones. QUAER. 1º An haeretici denuntiandi sint.**

*Resp.* Affirmative, quotiescumque vel lex naturalis ob fidei periculum vel lex positiva vel peculiare praeceptum legitimum id postulant. (can. 1935. § 2. 904. 2336. § 2.)

**QUAER. 2º Quomodo haeretici absolvi possint.**

*Resp.* 1º Absolutio ab excommunicatione, in *foro conscientiae* imperienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Sedes autem Apostolica facultalem absolvendi etiam communicat per *pagellam S. Poenitentiariae*, in actu sacramentalis confessionis et pro foro conscientiae dumtaxat exercendam; non tamen datur quoad eos qui haeresim inter fideles e proposito disseminaverint; et insuper variae clausulae servandae sunt, praesertim de secreta haereseos abiuratione coram ipso confessario, et reparando scandalo.

2º Si tamen delictum haeresis *ad forum externum Ordinarii loci* quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus. (can. 2314. § 2.)

## CAPUT IV.

### PERICULA FIDEI

Eodem praecepto, quo obstringitur quisque fidelis ad conservandam fidem, indirecte tenetur etiam ad reddendam illam securam a qualibet ruina, et consequenter ad eripiendam illam a. quolibet periculo. (n. 19. sub. 6.) Haec obligatio maxime urgenda est nostro tempore, quo fides in dies decrescit, ideo praesertim quia periculis non cavetur. Praecipua autem pericula sunt consuetudo cum haereticis et incredulis, frequentatio scholarum eorum, matrimonia cum iis inita, lectio impiorum scriptorum. De duobus posterioribus alibi dicendum est: unde hic de duobus prioribus tantum.

*Articulus I.***Consuetudo cum haereticis et incredulis.**

**327. — I. Ratio periculi.** Consuetudo cum haereticis et incredulis ideo periculosa est, quia ex ea plerumque oriri solent dubitationes de fide, quaedam a Religione alienatio, aut certe quaedam erga illam indifferentia; idque potiori ratione valet de consuetudine cum incredulis aevi nostri, quippe qui dogmata et praecepta Catholicae Religionis multo fallacius quam haeretici impugnare soleant, fidelesque pervertere moliantur.

**II. Obligatio vitandi periculum.** Nisi necessitas quaedam cogat, familiaritas omnis vitanda est, secundum monita Apostoli ad Tit. III. 10: « Haereticum hominem... devita, » et II Tim. II. 17: « Sermo eorum ut cancer serpit, » et Rom. XVI. 17. 18: « Declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: et per dulces sermones et benedictiones, seducunt corda innocentium. »

**328. — Quaestiones.** QUAER. 1º *An liceat famulatus apud acatholicos.*

*Resp.* Si absit periculum perversionis tam in fide quam in moribus, et famuli regulariter non impedianter ab observatione praeceptorum Ecclesiae, non est illicitus. Hanc autem libertatem exercitii Religionis in limite contractus stipulari debent. Si nihilominus eveniat, eos saepe a Religionis exercitio impediri, tenentur, cumprimum sine gravi damno possunt, famulatum relinquere. (*Prax, Conf. n. 33.*)

Idem dicendum de famulatu apud eos Catholicos, qui solo nomine tales sunt, et Religionis proxim prorsus abiecerunt.

Quod denique ad famulatum attinet apud Judaeos, praeceteris periculosus est puellis Christianis, quum Judaei perquam lascivi sint; antiquitus accedebat specialis prohibitio in *Cap. 12. de Judaeis.*

QUAER. 2º *An liceat nomen dare consociationibus operariorum aliisque societibus acatholicis.*

*Resp.* *Dist.* 1º Numquam licet nomen dare consociationibus *socialibus anti-catholicis*; quarum nempe finis et media naturali ordini et bono Ecclesiae positive adversantur, quaeque ideo saepe positive idque aliquando sub censura ab Ecclesia sunt prohibitae (can. 2335). Rationes sunt tum nimium periculum perversionis; tum cooperatio ad malum finem, nulla ratione excusabilis; tum ipsa, ubi intercedit, prohibitio Ecclesiae. Unde non licet sese associare nihilistis, et anarchistis etiam sub poena excommunicationis latae sententiae. Item graviter prohibita est ascriptio associationibus communistarum; et licet simplici ascriptione quis non incurrat in censuram, indignus tamen fit accedendi ad Sacra-menta, uti expresse declaravit S. Off. 1 Julii 1949<sup>1)</sup>. Idem dicendum de stricte dicto socialismo, in quantum adhuc antiquo animo anticatholico imbutus ap-

<sup>1)</sup> A. A. S. 1949. p. 334. De perversa natura communismi athei eiusque hostilitate aduersus Ecclesiam et religionem catholicam ofr. Encycl. *Divini Redemptoris*. 19 Martii 1937. A. A. S. 1937. p. 65 *sqq.* Cfr. deinde vol. II n. 1057 ubi plura de communismo eiusque fautoribus.

paret<sup>1)</sup>; animadvertisendum tamen, quod hodie in pluribus nationibus socialismus magis mitigatus exsistit (uti laburismus) qui iam antireligiosus dici nequit, dum elementum atheum magis ad communismum transiit vel intime cum eo collaborat<sup>2)</sup>.

2º Neque per se licet nomen dare consociationibus *socialibus acatholicis*, sive neutralibus ut vocantur quaeque indifferentes sese proclamant circa omnem religionem, sive interconfessionalibus, quae principia omnibus confessionibus christianis communia admittunt. Quaestio enim socialis controversiaeque ei subiectae de ratione spatioque operaे, de modo salarii, de voluntaria cessatione opificum, non sunt mere oeconomicae naturae, sed eiusmodi quae componi, posthabita Ecclesiae auctoritate, nequeunt. Unde vel ex hac parte in magnis periculis versantur ob societas huius generis et integritas Fidei et iusta obtemperatio legibus Ecclesiae.

Per accidens vero adscriptio tali societati licita fieri potest, ex causa nempe proportionata et debitibus adhibitis cautelis. Qua in re omnino obediendum est decisionibus auctoritatis ecclesiasticae.<sup>3)</sup>

3º Aliis societatibus seu organizationibus *anticatholicis* nomen dare similiter vetitum esse per se patet. Etiam aliis *acatholicis* nomen dare est per se illicitum, si exinde periculum vel scandalum oritur, nisi forte periculum cautionibus et scandalum ex causa cohonestante auferri possit et de facto auferatur. Quocirca notandus est canon 684: «Fideles laude digni sunt, si sua dent nomina associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis; caveant autem ab associationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis aut quae student sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere.»

Hinc: a) non est licitum nomen dare societatibus *theosophicis*, sicut nec eorum conventibus interesse, ipsarum libros, ephemerides, diaria, scripta legere. Cfr. S. Off. 18 Julii 1919.<sup>4)</sup>

b) Prohibitum est nomen dare societati Londini erectae ad procurandam *christianitatis unitatem*, quae societas aequali iure nomen catholicum a romano-catholicis, anglicanis et graeco-schismaticis sibi vindicari praetendit. Cfr. S. Off. 16 Sept. 1864 et 8 Nov. 1865.<sup>5)</sup> Hinc et postea prohibita fuit participatio conventibus, ab acatholicis indictis ad procurandam unionem omnium coetuum, christianorum nomen sibi vindicantium; quia isti, falsam quamdam unitatem inter omnes Ecclesias quae sese christianas nuncupant foedere constituere sectantes, fidem in unam veram Catholicam Ecclesiam subvertunt. Cfr. S. Off. 4 Iulii 1919, 8 Iulii 1927 et 5 Iunii 1948.<sup>6)</sup> De iudicio et habitudine Ecclesiae circa hanc tendentiam, vulgo dictam oecumenicam cfr. etiam Encycl. Pii XI. *Mortalium animos* 6 Ian. 1928.<sup>7)</sup> Ultimo tandem prodit Instr. S. Off. 20 Dec. 1949

<sup>1)</sup> Cfr. Lehmkuhl. II. 1225; N. K. St. 1914. p. 51-55, 1910. p. 232 *sqq.*

<sup>2)</sup> Cfr. Encycl. *Quadragesimo anno*. 15 Maii 1931. (A. A. S. 1931. p. 212-216).

<sup>3)</sup> Cfr. Ep. encycl. *Singulari quadam*, ad episcopos Germaniae 24 Sept. 1912. (*Acta Ap. Sedis* 1912. p. 657); *Notre charge*, ad episcopos Galliae, circa organizationem dictam *Sillon* (A. A. S. 1910. p. 607); S. C. Conc. 5 Iunii 1929 (A. A. S. p. 491); Litt. encycl. *Quadr. an.* 15 Maii 1931. (A. A. S. 1931. p. 187-188)

<sup>4)</sup> A. A. S. 1919. p. 317.

<sup>5)</sup> Coll. de Prop. n. 1262 et 1276.

<sup>6)</sup> A. A. S. 1919 p. 309; 1927 p. 278; 1948 p. 257. Cfr. Hürth in *Period.* 1948 p. 174-183.

<sup>7)</sup> A. A. S. 1928 p. 5. Etiam Epist. Past. Episcopatus Neerlandici, 31 Iulii 1948 occasione Congressus oecumenici universalis habitu Amstelodami 1948, in *Periodica* 1948 p. 384 *sqq.*: N. K. St. 1948, p. 299-305; *Euntes Docete*, 1949, p. 103-110; *Unitas*, 1947, p. 319 *sqq.*; N. R. Th. 1949, p. 524-530.

ad locorum Ordinarios « de Motione Oecumenica » in qua plures praescriptiones dantur de modo procedendi in procuranda reunione acatholicorum, in specie de mixtis catholicorum cum acatholicis conventibus, de necessitate veniae auctoritatis ecclesiasticae pro conventibus etiam minoribus et privatis, de conventibus localibus et colloquiis theologorum atque facultate Ordinarii hac in re, de conventibus interdioecesanis vel nationalibus sive internationalibus, non adeundis vel habendis sine venia praevia Sedis Apostolicae, iuxta *Monitum* 5 Iunii 1948. Huic vero Monito non subiacent instructiones cathecheticae acatholicis imperitiandae neque Collationes de principiis naturalibus vel christianis vel de ordine socialis et alii id genus. *A. A. S.* 1950. p. 142.

c) Ratione periculi etiam adhaesio Scholae politicae prohiberi potest.<sup>1)</sup> Cfr. *A. A. S.* 1926. p. 382. 517. 529; 1927. p. 5 et 157; 1928. p. 35. 76. 195. 398; 1929. p. 619: de factione dicta *Action française*.<sup>2)</sup> Haec vero prohibitio, sicut et prohibitio Diarri eiusdem nominis, certis declarationibus a Consilio Diarri factis, atque certis sub cautionibus sublata est, ita ut Confessarius iam absolvere possit poenitentem socium factionis, « qui asserit se eidem factioni adhaerere tantum velle si et donec Consilium factioni propositum in sua agendi ratione stet declaracionibus et cautionibus quae in praefato decreto cum suis adnexis (*S. Off.* 10 Julii 1939. *A. A. S.* p. 303) continentur ». Ita *S. Poen.* 24 Julii 1939. *A. A. S.* p. 317. Cfr. etiam infra II. n. 387. nota marg. 2.

### *Articulus II.*

#### Frequentatio scholarum acatholicarum

329. — **Pericula. I.** Ea iuventutis instituendae ratio, quae fit in scholis acatholicis, etiam mere neutralibus vel mixtis, quae etiam acatholicis patent, quaeque ideo omnem excludit doctrinam verae Religionis, non tantum contradicit iuri naturali parentum et iuri divino Ecclesiae, verum etiam est *ex se* periculi plena, ac per quam adversa rei catholicae.

Rationes sunt quia: 1º *mutila est*, et praecipua quidem educationis parte, doctrina nempe salutis aeternae, quae rerum pereuntium doctrinam tum nobilitatem necessitate praemodum antecellit; idque contra praescriptum canonis 1373: « in qualibet elementaria schola pueris pro eorum aetate tradenda est institutio religiosa; iuventus, quae medias vel superiores scholas frequentat, pliore religionis doctrina excolatur, et locorum Ordinarii current ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes. »

2º Contra praescripta canonis 1381 *ab Ecclesiae vigilantia seiuncta est*: unde fieri potest ut magistri scholis praeficiantur, et libri adhibeantur, qui errores et vitiorum semina teneris mentibus infundunt.

<sup>1)</sup> Notes etiam resp. *S. C. Cons.* 4 Febr. 1929 « non expedire » ut Ordinarii permittant clericis « ut nomen dent Societatibus hodiernis temporibus constitutis, quibus titulus *Rotary Clubs*, vel ut earumdem coetibus saltem intersint ». (*A. A. S.* 1929. p. 42).

<sup>2)</sup> Cfr. etiam pro Hollandia epistola Episcopatus 2 Febr. 1934 de fascismo et socialismo nationali; iterum de foedore nationali-socialistico (*N. S. B.*) 6 Maii 1936. In *N. K. S.* 1936 p. 184 et 193 commentarium; atque ulteriorem declarationem in *Anal. Archid. Ultraj.* 1941. p. 21, aliquamque non publicatam sed in omnibus ecclesiis praelectam.

3º Sine religione *impossibile est tum sana morum praecepta tradere, tum quas-dam scientias docere*, v. g. historiam: hinc fieri nequit quin praeeceptor *Revelacionem et Ecclesiam tangat*, eique vel patrocinetur vel aduersetur. Ita ex Instruct. S. Officii a Pio IX adprobata 24 Nov. 1875.<sup>1)</sup>

Igitur Pius IX in Syllabo errorum merito damnavit prop. 48: «Catholicis viris probari potest ea iuuentutis instituenda ratio, quae sit a Catholicis Fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.»

II. Non omnes scholae publicae, quas *neutrales* vocant, aequale periculum afferunt, sed aliae *positive*, aliae *negative* noxiae esse possunt. Porro:  
 1º *Negative noxiae sunt*, in quibus nihil fidei moribusve adversum reperitur.  
 2º *Positive noxiae sunt*, in quibus fidei integritas vel morum honestas, aut ambae simul, periculo proximo exponuntur.

Causae, ob quas scholae publicae *positive* noxiae sunt, tres potissimum recensentur: a) *libri*, qui paulatim puerorum animis religionem aut pudorem, aut utrumque, adimunt; b) *magistri*, falsae vel nullius religionis sectatores, qui venenum erroris si non aperte, subdole et sensim sine sensu puerorum animis instillant; c) *condiscipuli*, qui aut falsam aut nullam colunt religionem, et iis moribus praediti, ut adolescentium, licet domi optime institutorum, fides labefactetur.

**330. — Obligatio vitandi periculum.** Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent nisi sufficiens adsit causa et periculum perversionis e proximo remotum fiat. Sequitur ex ipsa lege naturali et divina bonae educationis in fide et moribus; confirmatur ex Instruct. citata et ex can. 1374. — Porro solius *Ordinarii loci* est iudicare de sufficientia causae et remotione periculi; a. v. eius est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum *adiunctis* et quibus adhibitis *cautelis*, ut periculum perversionis vietetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur. Ita ex can. 1374.

Porro ex supracitata Instructione S. Officii 1º ADIUNCTA quae constituant CAUSAM SUFFICIENTEM pro praedicta tolerantia, plerumque aderunt, quando vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus; vel demum, ubi lex civilis neutralium scholarum frequentationem sub gravi poena exigit. — Ubi scholae catholicae desunt, iuxta can. 1379 curandum, praesertim a locorum Ordinariis, ut condantur scholae catholicae, sive elementariae, sive mediae. Itemque si publicae studiorum Universitates doctrina sensuque catholico imbutae non sint, optandum ut in natione vel regione Universitas catholica condatur. Fideles

<sup>1)</sup> *Coll. de Prop. Fide. n. 1449.* Est instructio ad Episcopos Stat. Foed. Amer. Sept. Alias instructiones circa scholas praesertim inferiores in variis regionibus vides in *Collect. S. C. de Prop. Fide. n. 872* (pro regno Sinensi), 1190 (pro Hibernia). 1286 (pro Helvetia); cfr. etiam circa acatholicas universitates in Anglia n. 1312; atque circa frequentiam Universitatum civilium a parte *clericorum* sive *saecularium* sive *regularium*, Encycl. *Pascendi* 8 Sept. 1907, et S. C. Ep. et Reg. 21 Iulii 1896. (*Acta S. Sedis* xxxix, p. 359; cfr. et *xli*. p. 136). Cfr. demum Encycl. Pii XI de *Educatione*, 31 Dec. 1929. (*A. A. S.*, 1929 p. 751. *seqq.*)

autem ne omittant adiutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas condendas et sustentandas.

2º CAUTELAE vero adhibendae iuxta memoratam Instructionem sunt quae sequuntur: 1º Imprimis videndum utrum agatur de schola *positive* an *negative* noxia; et si est positive noxia, utrum perversionis periculum sit eiusmodi, quod fieri remotum plene nequeat, velut quoties ibi aut *docentur* quaedam aut *aguntur* Catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quae citra animae detrimentum neque audiri possunt neque peragi; enimvero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est, cum quocumque damno temporali, etiam vitae.

2º In aliis ut periculum amoveatur opportuna remedia cautionesque adhibenda sunt. Hinc: a) debet iuyentus necessariam Christianam educationem et institutionem extra scholae tempus rite et diligenter accipere. — b) Ideo parochi catechesibus diligenter debent operam dare, eisque explicandis praecipue incumbere fidei veritatibus ac morum, quae ab incredulis et heterodoxis impetuntur; iuuentutem insuper qua frequenti usu Sacramentorum, qua pietate in Beatam Virginem communire, et ad Religionem firmiter tenendam etiam atque etiam excitare. — c) Parentes, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilare debent, ac vel ipsi per se, vel, si minus idonei ipsi sint, per alios, de lectionibus auditis eos interrogare, libros iisdem traditos recognoscere, et si quid noxiun ibi deprehenderint, antidota praebere, eosque a familiaritate et consortio condiscipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere possit seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arcere et prohibere.

Notanda. 1º In *pueris* periculum difficillime ex proximo remotum reddi potest, cum tenera aetas vix non semper imbuatur principiis et moribus eorum, quorum vel doctrinas constanter audiunt vel consuetudine utuntur. (Konings. *De absol. parent. n. 19. Theol. Moral. n. 38.*)

2º Ubi scholae publicae *communiter* positive noxiae sunt, eadem doctrina valet, si de *aliqua* schola particulari ignoretur utrum sit positive noxia necne; quia tunc stat contra eam *prae*sumptio**; quae *prae*sumptio** soli cedit veritati, i. e. certitudini quod illa schola ut non positive noxia tolerari possit; in moralibus enim secundum *communiter* contingentia iudicandum est. (Konings. *De absol. n. 14. Theol. Mor. n. 435.*)

3º Ob *commune periculum* possunt Episcopi in aliqua regione omnes omnino scholas publicas aut penitus prohibere, aut sub definitis tantum conditionibus tolerare; *praeceptum* enim in vera *prae*sumptione** iuris fundatum est iustum, ac proinde ei parendum. Id accideret v. g. ubi Episcopi *prae*viderent** brevi eveneturum ut scholae publicae evadant *omnes* positive noxiae; vel ut alumni, etiamsi scholae *in se* positive noxiae non essent, spiritu irreligioso imbuantur, eo ipso quod noverint scholas illas contra Religionem erectas esse. (*Lib. 1. n. 100. in fine. Konings. De absol. n. 9.*)

4º Parentes qui necessariam Christianam institutionem liberis suis impertire negligunt aut sinunt eos frequentare scholas in quibus ruina spiritualis evitari nequit aut qui, licet adsit schola apta seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt eam scholis acatholicis, sine sufficienti causa ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis ex proximo remotum fiat, si contumaces fuerint, absolvii non possunt in sacramento Poenitentiae. Cfr. infra tom. II. n. 514. *sequi.*

